

Carl Gertz

De eclampsia parturientium : Dissertatio Inauguralis Medica


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010722980>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

ARCHIV

1442



De
eclampsia parturientium.



**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

CAROLUS GERTZ

WISMARIENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXLII.

oclamptis parturitionum

DISSERTATIO

IN VAGINAE HERNIA


DE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

Magnus utique morborum est complexus, qui univ-
ersum mortalium genus depopulatur; communium hostium
non minus vim sentit sequior sexus ac nobilior, quum
suis tamen et propriis decernit iisque crudelissimis.

J. G. ROEDERER,

de artis obstetriciae praestantia etc.



PROBSTIENSIS

1787

PROBSTIENSIS

PROBSTIENSIS

1787

V I R O

A M P L I S S I M O E X P E R I E N T I S S I M O

I N T E G E R R I M O

FRIEDERICO CRULL,

M E D I C I N A E E T C H I R U R G I A E D O C T O R I

N O M I W I S M A R I E N S I S P H Y S I C O

M E D I C O A P U D W I S M A R I E N S E S P R A C T I C O ,

H A S C E

V I N O

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

P I O G R A T O Q U E A N I M O

O F F E R T

A U C T O R .

Praefatio.

Non cupiditate scribendi, verum tamen necessitate adductus, quia mos vetustissimus quemque Doctoris nomen atque honores aditurum aliquid scribere jubet, hancce scripsi dissertationem. Cogitanti autem mihi, quae res ad tractandam sit accomodata, multa impedimenta magnaeque difficultates ante oculos versabantur. Quum enim me certe non fugeret, plerosque sapientissimos viros, qui multum operae et laboris adeo omnem vitam hac in arte discenda consumserint, jam de cunctis ad medicinam pertinentibus quaesivisse et distincte disserteque pertractasse: profecto dubitabam, num tironi aliquid relictum esset, de quo quaereret et pauca sua proferret. Permagnam autem et paene infinitum artis medicae agrum neminem posse per brevem suam vitam penitus peragrare, si quis disceret, et semper hanc doctrinam esse excolendam: huic respondebo a tirone non posse postulari, ut aliquid novi vel inauditi de aliqua re in medium proferat. Quare

ne mireris, Lector benevole, quod nihil novi, nihil inauditi in hac invenias dissertatiuncula, nam id solum volui, ut ipse dijudicem aliorum sententias et rem meam, permultis maxime dubiam, mihi certissimam comprobem. Ex Te autem, Lector experientissime, peto ut memor sis, me esse tironem, qui summum operis pretium in eo habebit, si benevole judicaveris, voluntatem quidem adfuisse in scribenda dissertatione optimam, defuisse autem vires.

Quamvis negare non possumus, quemlibet morbum, in quem mulieres uterum non gerentes incidere solent, gravidas quoque invadere posse, concedendum tamen est et omnes hos morbos ipsa modificari graviditate et novos quoque apparere, solis gravidis, solis parturientibus proprios. Inter hos nulla gravior, nulla periculosior, nulla perniciosior est quam ista convulsio-
num forma, quae inde a *Vogelio* et *Sauvagesio* eclampsia gravidarum et parturientium nominabatur. Quum hoc spasmodum genus mulieres tantum gravidas et parturientes vexet rectius quidem eclampsiam morbum esse sui generis omnes medici existimant. Quamvis vero de isto tempore, quo morbus noster appareat, ii qui de hac re scripserunt viri docti valde inter se differant, plurimi tamen et durante graviditate et inter partum et post partum illa mulieres corripere posse putabant. *Mende* ¹⁾ se observasse feminas commemorat, quae et inter totam graviditatem et in ultimis graviditatis mensibus gravissimis labo-

1) Beobachtungen und Bemerkungen aus der gerichtlichen Medicin und Geburtshülfe. Band V. p. 117.

rassent convulsionibus et quidem tam vehementibus, quas extra graviditatem nunquam vidisset. *Ramsbotham* ¹⁾ eclampsiam saepissime aut in ultimis graviditatis hebdomadibus aut incipiente partu, priusquam os uteri satis dilatatum esset, observari contendit, raro tantum tunc temporis apparere, quo caput foetus jam in pelvis exitu stare et perinaeum premere, dum uterus vehementer contrahatur et foetus non amplius propellatur. *Velpeau* ²⁾, has convulsiones saepissime aut mense nono aut decimo graviditatis apparere existimans, in eo cum clarissima *Lachapelle* consentit, morbum nostrum rarissime ante sextum apparere mensem. *Kluge* ³⁾ vero inter plures ante et post partum dies nonnullas sese observasse casus confirmat, in quibus mulieres vita decederent. Persuasissimum mihi est illos tantum eclampticos nominari posse spasmos qui doloribus ad partum concurrunt (id est tunc temporis, quo actio fundi uteri majore momento resistentiam cervicis superare contendit), et quidem saepissime cum primis uteri contractionibus, sive justo tempore uterus sese contrahere incipit, sive prius. Sed de hoc alio loco pluribus.

1) Vid. *Behrend*, Repertorium. März 1835.

2) Die Convulsionen in der Schwangerschaft, während und nach der Entbindung von Prof. *A. Velpeau*. Aus dem Französischen von Dr. *M. J. Bluff*. 1835. Pag. 16.

3) *Siebold*, Journal. Band IX.

Eclampsiae nunquam subito gravidas invadenti semper prodromi, modo per brevius modo per longius tempus durantes, antecedunt, quos cognoscere maximi est momenti, quia in multis casibus imminentibus occurrere valemus convulsionibus. Qui eclampsiam advenientem annunciare solent prodromi hi sunt: inquietudo quaedam et anxietas gravidam valde afflicta, mentis alienatio, acerbus capitis dolor, tinuitus aurium, frequens tremor et horror, lassitudo artuum, inexpugnabilis paene somni necessitas, pulsus parvus et irregularis, leves musculorum faciei convulsiones; sanguis saepius e naribus profluit, dentes dolent, vomituritio, vomitus ipse apparet. *Velpeau* ¹⁾ apud plures gravidas paucis ante diebus vel horis duritiem quandam et dolorem in regione hypogastrica observasse vult, quod maximi esse momenti contendit. Proxime ante impetum facies rubicunda intumescit, oculi obumbrati, respiratio irregularis saepius stertorosa conspicitur, cor valde palpitatur, mulier oscitat, sudor universalis occupat artus; urina frequens, pellucida, aquosa; alvus tarda, plerumque suppressa. Tumor quidam externas interdum occupans partes pudendas non raro tantus est, ut gravidae non sine acerrimis in lecto jacere possint doloribus, qui tumor secundum

1) Loco citat. p. 69.

Betschler ¹⁾ in femora, in suras et in alias corporis partes, in manus et praesertim in faciem ita procedit, ut palpebrae inferiores sicut sacco dependeant. Hunc tumorem permagni esse momenti *Osiander* ²⁾ confirmans et ipsum distinguens a tumore oedematoso superficiem corporis interdum occupante, magis e turgore quodam venoso quam ex effuso in telam cellulosa sero explicare tentat. „Quamvis facies non semper sit rubicunda, inquit *Osiander*, tamen ab illarum facie valde differt, quae leucophlegmasia seu oedemate laborant, manus etiam tumefactae rubriores et calidiores quam solito sunt, qui turgor morbosus plane usque ad cerebrum et medullam spinalem pertinens, semper fere ingruenti morbo antecedere videtur.“ *Betschler* ³⁾ vero, hunc tumorem initio plane ab intumescencia oedematosi discrepare, a quovis tumore hydropico praecipue densitate, aucto calore, rubore per partes distributo, sensu quodam doloris et tensionis penitus differre concedens, utrumque tamen ipsa natura non diversum esse existimat tumorem, cum semper fere in exsudationem sub

1) Annalen der klinischen Anstalt der Universität Breslau. Breslau 1835. Band I.

2) Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtkunde. Band II. Hft. 3. p. 558.

3) Programm über die Eclampsie der Gebärenden. Breslau 1831. p. 11.

cute serosam, id est in verum oedema, morbum transire observasset. Hanc intumescenciam aucto in venis subcutaneis turgore effectam esse et haud dubie pertinere ad partes internas, non modo ad cerebrum et medullam spinalem, sed etiam ad cavum pectoris et abdominis, *Betschler* sententiam illustrissimi *Osiander* omnino comprobat. Cum haec intumescencia in veram transeat exsudationem serosam, summum eorum, quae *Siebold* ¹⁾ ex cadaverum didicerit dissectionibus, exsudationem serosam in cavum capitis, abdominis, pectoris facili ratione explicari posse *Betschler* persuasissimum sibi habet. *De la Motte* ²⁾ et *G. W. Stein* ³⁾ hujus intumescenciae hydropticae mentionem quoque faciunt, quorum alter oedema extremitatum inferiorum appropinquantes inter convulsiones lethale esse, alter faciem tum saepe terribili modo tumefactam vidisse contendit. Omnium horum imminentium convulsionum signorum acerbissimus ille capitis dolor, quamquam *Denman* dolorem in regione hypogastrica graviolem putaverat, maximi mihi esse momenti videtur, quod quidem symptoma eo magis grave habendum est, quum mulieres cephalalgia, qua alias vehementissime excruciantur, inter partum,

-
- 1) Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Band II. p. 177.
 2) Traité des accouch. Obs. 42.
 3) *Stein*, Lehre der Geburtshülfe. I. 508.

ut fere fit, non afficiantur. Erumpenti morbo nonnulli semper prodromi, aut plures aut pauci, interdum pluribus hebdomadibus nonnunquam aliquot horis antecedunt.

Paroxysmus proprio plerumque dolore ab utero ad organa systematis nervosi centralia pertinente proprioque clamore incipit. Omnes corporis musculi, voluntati subjecti, acerbissimis arripiuntur convulsionibus, parturientes manus agitant, pedibus calcitrant, anxie se volvunt adeo interdum, ut vix contineri possint, vagitus inconditos edunt, oculos torquent dilatatis pupillis, lingua in peiori casu dentibus laceratur, cruenta os obsidet spuma. Artus curvantur, extenduntur, flectuntur vi quadam atque celeritate admirabili, digiti sunt inflexi, non raro Tetanus, Opisthotonus, Emprosthotonus, Pleurosthotonus parturientes arripit; sudores frigidi, singultus, animi deliquia et coma accedunt, omnes sensus absentes, facies tum distorta, tumefacta, rubicunda, tum livida, pallida. Aegrotā dum per clausos dentes, per lacerata labia, per spumam sanguine mixtam, os obsidentem, spiritum ducit, clarus auditur stridor; respiratio est difficilis, stertorosa, irregularis, pulsans, quum pectus et abdomen subito ac vehementer tollantur et contrahantur; collum tumefactum; carotides, arteriae temporales vehementer pulsant. Interdum frigidi totum corpus obsident sudores, interdum cutis

calida, sicca; pulsus spasticus, intermittens, tum paene sensibilis, tum durus, plenus, celer; urina et excrementa invitis profluunt.

Nonnullas aegrotas crudelis ille paroxysmus per totam, nonnullas, ut semper fere fit, per sextam aut quartam horae partem excruciat. Exeunte impetu aegrota plerumque, relaxatis convulsionibus, gravi atque soporoso somno opprimitur, quo serius ocyus mentis suae plane eompos expergiscitur; tum non nisi affectas atque fatigatas vires suas sentit, non nisi levem capitis et cujusdam corporis partis, acerbissimis laesae convulsionibus quaeritur dolorem, de reliquis quae ipsi acciderunt nihil sentit, non intelligit sollicitos anxiosque circumstantes, non intelligit medicum ipsi auxiliantem, non sanguinem lectum inquinantem, non glaciem caput rasum obtegentem, imo vero bellissime se habere affirmat. Sed haec requies, haec salutis signa non diu durant; saepe jam post semihoram vel quartam horae partem eodem modo convulsionibus denue erumpunt, majori modo vi atque vehementia, ita ut quovis momento apoplectica mors deplorandae vitam adimere imminetur parturienti. Tempus inter singulos paroxysmos, in quo spes sanitatis recipiendae miserandae affulget aegrotae, semper brevius fit, tandem singultus et animi deliquia accedunt, somnus ille soporosus totum inter paroxysmos temporis spatium occupat,

aegrota tandem in vitam non redit. Horum paroxysmorum numerus valde differt; raro tantum fit, ut nulla existat relaxatio morbi, raro, ut primus usque ad mortem duret impetus, quae post duodecim vel sedecim horas adventare solet. *Jöerg* ¹⁾ mulierem videbat eclampsia correptam, quae primo paroxysmo usque ad mortem per sedecim vexabatur horas; in altero casu primus impetus per longius adhuc temporis spatium durabat. Semper fere quatuor vel sex imo vero viginti vel triginta interdum paroxysmi adesse solent. Non raro sensuum obscuratio per plures post partum dies permanet.

Eclampsia aut prospere evenire, aut in alterum transire morbum, aut mortem afferre solet. Turgor quidam vasorum, effusus in cerebrum sanguis, effusum serum cerebrum premens mortem plerumque afferunt, sed et paroxysmi vicissim intrantes ita vim vitalem debilitare valent, ut parâlysis mortem adducat. Secundum *Velpeau* ²⁾ extravasatio sanguinis ac seri in cerebrum creberrima est mortis causa, quamobrem plurimorum errorem scriptorum, eclampsiam cum apoplexia confundentium, libenter ignoscit. *Joerg* ³⁾ mortem plerumque aut cerebri sensibilitate ultra modum exaucta aut sanguine cras-

1) Handbuch der Krankheiten des Weibes. 1832. p. 440.

2) l. c. pag. 79.

3) l. c.

siore, uberiore, venosiore afferri contendit. — Quodsi morbus noster prospere eveniat, singuli impetus variores ac debiliores apparent; sopor altus placidusque festos occupat artus, calidi totum obsident corpus sudores, quam crisis diarrhoea atque urina critica mox sequi solet. Simul partus non raro solito more perficitur, ita ut foetus solis naturae viribus excludatur. Interdum inscia matre per stadium soporosum partus tam celeriter perficitur, ut mulier, somno soluto se peperisse credere nolens, ipsum infantem infesto aspernetur animo. Qui eclampsiam quandoque secuntur morbi hi sunt: paralysis extremitatum ac linguae, amaurosis, memoriae defectus, acerbissimus capitis dolor per longum temporis spatium durans, mania, melancholia. *Mende* ¹⁾ eclampsiam, quae primiparam quandam vexaverat, gravissimam cephalalgiam et tam completam sequi videbat amaurosin, ut nihil mulier visu distinguere posset. Idem scriptor alterius casus mentionem facit, in quo convulsiones octavo graviditatis mense apparentes paralyisin inferiorum corporis partium, sex mensibus post mortem mulieris alias sanae ac validae afferentem, effecit. Secundum *Betschler* ²⁾ eclampsia

1) Beobachtungen und Bemerkungen aus der gerichtlichen Medicin und Geburtshülfe.

2) Medicinische Zeitschrift vom Verein für Heilkunde in Preussen 1834.

interdum in proprium cerebri morbum, in typhum quendam incipienti hydrocephalo acuto simillimum transit, qui typhus aut prospere evenire aut exsudationem adducere lethalem solet.

Præcipua eorum, quæ de hac re nos docuerunt illarum mulierum eclampsia oppressarum dissectiones cadaverum, tam inter se discrepantia sunt, ut morbi nostri naturæ non nisi exiguum adhibeant lumen. Nonnunquam nullæ mutationes observabantur, quibus periculum atque vis mortifera morbi explicari posset. *Ramsbotham* ¹⁾ exempli gratia eclampsiam observabat lethalem, quamvis nullam post mortem perturbationem organicam nec cerebri vasa ultra modum sanguine repleta invenisset; similia clarissima *Lachapelle* ²⁾, similia in novissimis videbat temporibus *Buerger*. Plurimi contra extravasationes atque exsudationes in cerebrum et medullam invenerunt spinalem. *Haase* ³⁾ in cadavere mulieris robustæ ac validæ, in septimo graviditatis mense morte ereptæ, genitalia sana, hepar atque abdominis vasa turgida, in cavo cranii quantitatem sanguinis satis magnam effusi, sub arachnoidea ac in cerebri cavis extra-

1) *Behrend*, Repertor. Febr. 1835.

2) *Pratique des Accouch.* III. p. 23.

3) *Haase*, siebenzehnter Jahresbericht über die Vorfälle im Entbindungsinstitute der Med. Chirurg. Acad. zu Dresden in *Schmidt's Jahrbücher* 1834. p. 94. IV.

vasationes reperiebat insignes. In muliere quadam triginta annos nata *Mayer* ¹⁾ cerebrum sanguine repletum, vasa turgentia, sed nullas videbat extravasationes. *Bluff* ²⁾ in cadavere mulieris cujusdam triginta sex annos natae genitalia inflammata, cerebrum sanguinosum, piaie matris vasa sanguine turgida, in ventriculo sinistro insignem reperiebat extravasationem. Apud alteram durante graviditate oppressam mulierem idem *Bluff* magnam seri sanguinosi quantitatem in cavitate medullae spinalis observabat; cerebri vasa sanguine erant repleta. *Merriman* ³⁾ in cerebri cavitatibus parvam liquoris serosi quantitatem, venas et sinus sanguine completos, meninges ac substantiam cerebri rubriores, interdum perspicua congestionis signa atque exsudationes videbat sanguinosas. *Betschler* ⁴⁾ mulieris cujusdam alias sanae ac validae, viginti quatuor annos natae, cujus corporis statura athletica fere poterat nominari, dissecabat cadaver, in quo emissaria *Santorini*, vasa galeae aponeuroticae, durae ac piaie matris turgida videbantur; inter duram et piam matrem magna accumulata erat seri copia, ventriculus tertius atque quartus omnino repleta

-
- 1) *Medicinische Zeitschrift vom Verein für Heilkunde.* 1833. No. VIII.
 - 2) *Siebold's Journal.* Band XV.
 - 3) *Synopsis on difficult parturition.* p. 147.
 - 4) *Medicinische Zeitschrift.* 1835. Nr. 34 u. 35.

erant sero; in cavitatibus cerebri extravasationes sanguinosas longe extensas inveniebat. Cavum abdominis nulla memoratu digna ostentabat. Apud alteram mulierem quatuor circiter horas post primum impetum morte oppressam *Dewees* 1) tres sanguinis uncias in sinu longitudinali durae matris inveniebat; ventriculus sinister sero erat impletus cruento; reliquas cerebri partes, reliquos ventriculos integros esse animadvertibat. Reliqua in dissectionibus reperta, morbi nostri naturae minimum adhibentia lumen, labia pudendi inflammata, uterum inflammatum, cor molle atque relaxatum et quae sunt hujus generis reliqua, eo magis omitti posse persuasum mihi habeo, quo saepius et ab aliis morbis et a curatione quadam mala adducta sint. Sed id valde mihi dolendum esse videtur quod medici in dissectis cadaveribus ad medullae spinalis affectiones tam raro spectaverint.

De eclampsiae natura, quamvis multa quidem adhuc tenebris obducta sint, ea tamen, quae novissimis temporibus viri doctissimi de nervorum physica perscrutati, magna ex parte, praesertim a clarissimo *Romberg* et *Hentle* tam prospere jam ad pathologiam adhibita sunt, ut mox quoque morbi nostri naturae clarum lumen allatura sint. Amicus meus carissimus *A. Fah-*

1) Die Krankheiten des Weibes von *William P. Dewees*, Prof. zu Philadelphia. Deutsch von Dr. *A. Mozer*. Berl. 1837. p. 267.

renheim ¹⁾ hanc rem brevi tempore ante tam diligenter pertractavit, quam hoc loco in univ-
sum modo, ne haec pars a me sit relicta, disser-
turus sim. Omnes qui de hac re scripserunt viri
docti in eo consentiunt, ut durante graviditate
sanguis eclerrime formetur; summum enim pro-
ductionis organicae, nutritio ac confirmatio novi
organismi, quomodo aliter effici potest, nisi major
atque vividior agitatio in iis, quae materiam for-
mativam, id est sanguinem, continent, nisi major,
dico, atque vividior agitatio in vasis procedat?
Omnes in eo consentiunt plasticam tum augeri
vim sanguinis, et congestiones fieri ad partes
internas, cerebrum, pulmones, quae congestiones
animi deliquia, vertigines, dolores proferunt et
secretiones atque exeretiones opprimunt. Quum
ad haec accedit opportunitas quaedam corporis,
turgor quidam venosus, quem apud plurimas in-
venimus mulieres, quum accedit, quod omnia
abdominis vasa pressa sunt utero sub finem
graviditatis ultra modum extenso, quum accedunt
primae uteri contractiones ipsae, quibus extensa
atque mirum in modum evoluta uteri vasa iis
quae continent, liberantur, qua re sanguis in alia
organa, praesertim ad cerebrum tam afflictum in-
traditur, non mirum nobis videbitur, ipsi cere-
brum sanguine ita repleti, ut et privetur cura

1) De aetiologia eclampsiae parturientium. Dissertat. Rost.
1841.

atque vigilantia sibi commissa de medulla spinali et igitur de vi musculorum, voluntati subjectorum a medulla spinali moderatorum, et medullam spinalem ad motus voluntati non subjectos incitet. Sed de his solis causis illae, quae in eclampsia observamus convulsiones non producerentur, nisi alia permagni momenti accederent. Uteri contractionibus foetum, sive maturum sive immaturum, ab isto quo hucusque nutriebatur loco, remove et in novam vitam revocare destinatis, nervi sensibiles uteri vehementer afficiuntur, quae affectio in medullam propagatur spinalem. Hanc affectionem perceptam medulla spinalis in nervos reflectit motorios, qua re motus incitantur. Si cerebrum in perfecto integritatis statu se haberet, impressiones illae, quas a nervis sensibilibus ope medullae spinalis accepisset, perciperentur, atque voluntas integra medullam spinalem ad motus impelleret reflexos. Vehementissimis autem congestionibus cerebro vi sua in medullam spinalem plus minusve privato non amplius tam valde intelligentiae nostrae vim fugit, cur motus reflexi, nervis uteri sensibilibus excitati, tam vehementer inepteque appareant et imaginem spasmorum horribilium ante oculos nobis producant. Quum ad haec omnia sensibilitas quaedam morbose adaucta universalis accedit praesertimque uteri localis aucta, id quod praecipue in primiparis in aetate vel parum vel minus provectis

observamus, quae jam antea non raro mensibus laborabant dolorosis, tanto minus tum eclampsiam erumpere admirandum erit.

Jam ea quae modo de natura eclampsiae diximus, cum prodromis atque signis morbi nostri, cum impetu ipso et cum iis, quae cadaverum dissectiones nos docuerunt, conciliare conabimur. Turgorem adesse venosum, graviditate nimis adauctum intumescencia ista ab *Osiander* et *Betschler* optime descripta probat; caetera imminentium convulsionum signa, acerbus ille capitis dolor, scintillulae ante oculos, tinnitus aurium, animi deliquia, vertigo, anxietas, pectus oppressum, sopor tandem vehementissimas ad caput et ad pectus sanguinis congestiones indicant. Intrans impetus ipse cum primis semper ad partum doloribus concurrit. Cum morbus noster, inquit *Dewees* ¹⁾, mulieres aut parturientes aut partui propinquas arripit, paroxysmos ipsissimis temporibus apparere observabimus, quibus uterus contrahitur, et quamvis aegrota quoque impressionibus non commoveatur externis, tamen tristi plangore, respiratione suppressa, id quod etiam in doloribus ad partum observamus, uteri contractiones adfuisse significabit. Id semper mihi tam distincte expressum videbatur, ut recte quidem comprobare possim nosmetipsos diligenter

1) l. c. p. 253.

observantes in omnibus casibus hoc solo signo sine ulla per vaginam exploratione discernere posse, sive partus procedat nec ne.“ Omnes igitur convulsionum casus cum doloribus ad partum non concurrentes, in quibus partus non edebatur, quorum *Levret* et *Baudelocque* mentionem fecerunt, certissime convulsionibus aut epilepticis aut hystericis adnumerandos esse persuasissimum mihi habeo. Sicut primus simul cum uteri contractionibus intrat impetus, ita ceteri paroxysmi doloribus ad partum, saepius nobis non apparentibus, subsequuti revertunt. De hac re *J. Burns* ¹⁾ fieri potest, inquit, ut unus modo appareat impetus, plerumque vero redintegrantur paroxysmi qui, nisi mox aut mortem adducant aut arte leventur, regulariter quave uteri contractione revocantur eodemque modo saepius apparent, quo celerius una uteri contractio alteram sequitur. Aegrotata in intervallo inter primum et secundum impetum mentis suae adhuc compos, mox sensibus alienata erit; in statu quadam stuporis apoplexiae simillimo prostrata jacet, interdum convulsionibus, vi atque vehementia semper increcentes, apparent, et quamvis mulier ad partum doloribus non vexari videatur, tamen os uteri mutatur atque nonnunquam durante impetu inscia

1) *John Burns*, C. M. Prof. zu Glasgow, Handbuch der Geburtshilfe, deutsch von Dr. *H. F. Kilian*, Bonn 1834, p. 496.

matre infans extruditur; interdum aegrota denuo compos sit mentis, appropinquantes sentit ad partum dolores, qui mox irrupentibus superari videntur convulsionibus.“ Altero loco idem „convulsiones puerperales, inquit, saepissime eodem modo, quo dolores ad partum, revertunt, saepius aut cum istis consociata sunt doloribus, aut ipsos secuntur, appropinquantibus autem convulsionibus dolorum sensus ita opprimitur, ut uteri contractiones cessasse videantur.“ Nausea, vomituritio, vomitus ipse, brevi ante impetum saepius apparentes, pariter motu reflexo explicari potest; et si regionem observemus hypogastricam valde dolorosam, non nisi opus erit nobis in mentem maximi revocare consensus inter uterum et illarum partium, a nervo vago instructarum 1). Quod vero irritatione quadam nervorum uteri sensibilium inde a medulla spinali motus excitentur reflexi, eo minus mirum nobis esse videbitur, quo magis respiciamus ad egregia ista experimenta de hac physiologiae parte a *Marshall Hall* et *J. Mueller* instituta. Quis ignorat, convulsionem spasticam apud infantes excitari irritatione quadam in intestinis, vermibus, dentitione et quae sunt hujus generis reliqua, quis ignorat omnes respirationi inservientes nervos, nervum facialem, n. vagum, n. accessorium,

1) Vid. *Romberg*, Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Berlin 1840. p. 14.

n. phrenicum reliquosque nervos respiratorios, aut ipsa origine aut quia dependeant a medulla oblongata, facile impelli ad motus convulsivos omnibus irritationibus, a sensibilibus membranarum mucosarum nervis in medullam spinalem et oblongatam perductis; quis non observavit quam celerrime spasmus catarrho organorum respirationis excitatus, tenero animam eripiat infanti? ¹⁾

Quamquam ea, quae cadaverum nos docuerunt dissectiones non omnes nebulas morbum nostrum obtegentes fugaverunt, tamen, quod supra jam vidimus, in plurimis casibus vasa cerebri sanguine impleta, in ventriculis extravasationes sanguinolentas, serosas, lymphaticas, pulmones sanguine turgentes omniaque signa, vehementissimas ad caput et ad pectus congestiones indicantia, invenimus. Sin vero nulla congestionum signa in dissectis observamus cadaveribus, non obliviscendum est, usque ad hoc tempus eclampsiae diagnosise parum certam fuisse, saepiusque convulsiones epilepticas, eclampticis commixtas convulsionibus, mortem attulisse, et si illos perscrutamur casus, in quibus nulla nobis monstrabant mutationes cadaverum dissectiones, in his ipsis casibus maxime morbum recte cognitum fuisse dubitandum erit. Praeterea non obliviscamur mortem non semper extravasatione in cerebrum affectum subsequi, sed

1) Vid. Müller's Physiologie. 3te Auflage. Band I. p. 717 u. folgd.

et posse adduci paralyti quadam, paroxysmis invicem sequentibus vimque vitalem celeriter consumentibus effecta, non mirum nobis videbitur, quod cadaverum dissectiones interdum nos destituant in explicanda vera mortis causa.

De eclampsiae diagnosi scriptores valde inter se differunt. Dum alii omnes gravidarum ac parturientium convulsiones eclampsiae adnumerandas esse putaverunt, alii istas solas convulsiones apoplecticam afferentes mortem eclampticas nominatas volunt. Praecipue morbus noster a spasmis et hystericis et epilepticis discernendus erit, qui saepe eclampticis permutati sunt convulsionibus, ut praesertim ex hac re de natura morbi nostri, de aetiologia, de curatione maximam explicare possimus apud viros doctissimos dissensionem. Spasmi hystericis in prioribus graviditates mensibus solito apparentes, mulieres plerumque irritabiles, teneras, invalidas, ad animi deliquia proclives invadunt. Tota prodromorum series abest; cephalalgia, quamvis nonnunquam adest, non tam acerrima non tam diu durans; saepius aegroti tinnitu aurium, semper fere globo hystericis, palpitatione cordis vexatur; facies durante impetu minus rubicunda, imo vero nonnunquam pallida; spuma os non obsidet, nunquam sensus amissi; convulsionibus aut animi deliquia antecedunt aut aegroti conclamat atque singultat; somnus post impetum non adest soporosus. Con-

vulsiones aliter quoque erumpunt ac in eclampsia; oculus non tam valde detorquet, facies minus distorta sed majores corporis musculi convulsionibus magis sunt correpti, opisthotonus tam vehemens saepius apparet, ut caput et pedes se fere contingant. *Dewees* ¹⁾ memorat, se faciem mulierum convulsionibus vexatarum hystericis non quidem rubicundam sed tamen nunquam pallidam vidisse. „Finitio paroxysmo, pergit *Dewees*, aegrotata plerumque saepius admonita aut ad se redire solet aut, simulac virium prostratio remissa est, statim mentis sensum recipit, et si stupore oppressa esse videtur, nonnunquam tamen loquitur obscurosque edit sermones. Brevi tempore post impetum finitum oculos aperit, nihil cogitans circumspicit, tum vero, quam subito pudore correpta, in lectum magis reclinans caput sub lodice abscondit.“ Pulsus non tam excitatus, respiratio non tam oppressa quam in eclampsia; nunquam paralysis, nunquam amaurosin convulsiones hystericæ relinquunt. Major quamvis inter eclampsiam et epilepsiam similitudo sit epilepsia tamen morbus est chronicus, paroxysmi et in graviditate et extra ipsam redeunt, singuli impetus rarius intrant, pulsus plerumque regularis, interdum spasticus, aegrotata celerius ad se redit. Totus prodromorum numerus, eclampsiam

1) l. c. pag. 255.

insignem reddens, convulsionibus abest epilepticis, aura tantum epileptica interdum antecedit. Paroxysmi epileptici plerumque a vitio quodam organico centralium systematis nervosi organorum pendent, paroxysmi eclamptici contra irritatione quadam praetereunte medullae spinalis, doloribus ad partum adducta, atque congestionibus ad cerebrum vehementissimis excitari videntur. Non praetereundum quoque est convulsiones et hystericas et epilepticas saepe quidem uteri contractiones gignere, sed tamen intransiens non semper excitari convulsionibus et non raro praeterire partu non statim subsequente. His convulsionibus epilepticis et ille casus a *Baudelocque* ¹⁾ observatus, in quo inter tres graviditatis menses sequentes paroxysmi in quovis mense revertebantur et quidem isto tempore, quo alias apparere solebant menses, adnumerandus est.

Jam transeamus ad morbi nostri prognosin. Plurimorum experientia medicorum eclampsiam perniciosissimis adnumerandam esse morbis nos docuit. *Plenk* ²⁾ ex duodecim gravidis in ultimis graviditatis mensibus convulsionibus vexatis nullam servasse contendit; *Lebmacher* ³⁾ ex multis non nisi unam mortis periculo eripuit, et

1) Anleitung zur Entbindungskunst, übersetzt von *Meckel*.
Vol. II. P. 96 u. 97.

2) *Plenk's* Geburtshülfe. P. 216.

3) *Ibidem*.

vel *Saxtorff* existimabat omnes mulieres, dolorum ad partum loco convulsionibus vexatas, aut inter partum aut post partum ad mortem non dubiam concurrisse. *Merriman* ¹⁾ e triginta sex mulieribus octo, *Churchill* ²⁾ e centum et quinquaginta duabus quadraginta duas gravidas servatas videbat. „Concedendum est, inquit *Schmidt*, nos nihil certi de aetiologia convulsionum in gravidis scire, nos obscuris ductos indicationibus agere et morbum recte a nobis cognitum esse nunquam pro certo scire, quare prognosis dubia erit, dum morbum satis compertum habebimus.“ Sed tantopere morbi nostri diagnosis, aetiologia et cura non ignoratur. Quamvis confirmare non ausim, nos naturam eclampsiae jam plane cognovisse, nonnulla tamen nubila morbum nostrum hucusque obtegentia jam sunt fugata, eclampsia a similibus morbis in plurimis casibus certo diagnoscenda erit, quod si observabimus, si recte aestimabimus proprios prodromos, morbum quoque minus periculosiorem reddere poterimus. *Petri* ³⁾ jam creberrimam mortem minus vehementiae morbi quam isti attribuit causae quod quilibet medicus methodum quandam curandi aut ab ipso excogitatam aut ab aliis valde commendatam sine ullo causarum

1) Synopsis on difficult parturition. p. 147.

2) *Schmidt's* Jahrbücher. Vol. VIII. p. 59.

3) Dispt. de convuls. gravid. partur. et puerp. Götting. 1790.

respectu adhibeat. *Gehler* quoque *Plenkii*, *Sauvagesii* aliorumque sententias refutare et tironi permagnam atque paene horribilem eclampsiae timorem adimere conatus est. Equidem persuasissimum mihi habeo, nos in permultis casibus, dummodo momenta diagnostica recte aestimemus, ac prodromos per longius plerumque tempus antecedentes diligenter attenteque observemus, et morbum imminens providere posse et morbum jam eruptum cura quadam prudenter ac audacter perducta non raro posse depellere. Quatuor mihi in promptu sunt casus (unum ipse vidi, reliqui cognatas spectantes carissimas valde me affligebant) qui omnes egregie curati, quod ad matrem attinet feliciter evadebant.

Prognosis partim pendet ex statu valetudinis gravidae ante irruentem morbum, partim ex vi atque vehementia singulorum paroxysmorum. Tum magis sperandum, cum mulieres, in aetate nondum provectae, non nimis validae ac sanguine abundantes, quorum corpora vitiiis organicis vacua, arripiuntur convulsionibus; cum mulier mentis sensum mox recipit, cum vehementia singulorum impetuum sensim imminuitur, cum sudores universales, urina ac excrementa critica apparent. Tum vero pejor erit prognosis quum jam vitia cerebri, pectoris abdominis organica aderant, cum paroxysmi magna vi intrantes ac celeriter invicem subsequentes per longum tempus durant,

cum aegrotā cessante paroxysmo mentis suae non compos fit, et cum nullus somnus, nulla crisis intrat. Quibus in casibus eclampsia plerumque gravidāe aut animam eripit, aut paralyses, memoriae defectum, maniam, melancholiam et quae sunt hujus generis alia relinquit. *Wigand* ¹⁾ tum periculum permagnum esse putat, cum aegrotāe, in stadio soporoso gemitus interdum edentes, caput et pectus manibus capescunt. *Chambon* ²⁾ eclampsia vomitu consociata et matrem et infantem in mortis periculum transduci et *Denman* ³⁾ tum periculum majus esse confirmat, cum acerbis dolor in regione hypogastrica et spasmus ventriculi antecedit. Equidem mihi non persuasum habere possum, haec majoris esse momenti quam spasmos in reliquis corporis partibus, quod facillimum erit intellectu, cum ea, quae jam supra de motibus reflexis et de sympathia inter uterum et nervum vagum diximus, in mentem nobis revocamus. Vehemens sanguinis e naribus profluvium durante impetu apparens pessimam praebens secundum *Wigand* prognosin. *G. W. Stein* non tam periculosum sed optimi ominis signum ac saluberrimum naturae conamen esse existimat, quo congestiones ad cerebrum diminuuntur. Jure quidem hoc signum cui parendum esse credit.

1) Die Geburt des Menschen. p. 314.

2) Les maladies des femmes en couche, Paris. An. VII. p. 56.

3) Introduction to Midwifery.

Maunsell eclampsiam periculosiorem apud multiparas quam apud primiparas esse contendit quod recte quidem plurimi qui de hac re scripserunt viri doctissimi e. g. *John Burns*, *Hamilton*, *Mauriceau*, *Chaussier* etc. rufutant, imo vero *Mauriceau* prognosin pessimam esse in primiparis in actate jam provecctis confirmat. Prognosis tum melior erit, quum aegrota levissime partu liberatur, pessima vero cum partus impeditur.

Eclampsiam etiam periculosiorem infanti quam matri esse omnes medici consentiunt. Quo celerius aquae defluunt, quo vehementius uteri contractiones apparent, quibus circulatio sanguinis per aliquot tempus impeditur, eo facilius infans moritur. Secundum *Meissner* tum magna spes salutis infanti adest, cum os uteri jam satis apertum et cum partus primis apparentibus convulsionibus statim ad finem perducitur; sin vero plures antecesserunt impetus, foetus plerumque mortuus in lucem editur. Eclampsiam ante justum graviditatis finem intrantem semper abortus insequitur. *Schenk* ¹⁾ si confirmat, eclampsiam non semper abortum producere nisi quae vehementissima sit, multos enim vidisse mulieres hoc morbo correptas, quae foetum usque ad finem graviditatis gessisse, valde errat, vera enim eclampsia semper cum doloribus ad partum in

1) Obsert. med. p. 113.

idem tempus incidit. Tum vero pejor erit prognosis et matri et infanti, quia abortus jam per se matrem maximo objectat periculo. Recte quidem jam *Stoll* istam profert sententiam „ex abortu mulieres convulsae raro evadunt“ et *Aretaeus* „convellitur etiam ex abortu mulier et ea quoque vix evadit.“

Aetiologiam eo magis praetermitti posse mihi persuasum habeo, quo uberius in dissertatione amici carissimi tractata sit, quo et ex iis quae jam antea de morbi nostri natura diximus jam satis appareat. Id unum adhuc memorandum erit, et turgorem istum venosum morbose ad auctum et omnia congestiones ad caput excitantia atque ista momenta dolores ad partum graviores reddentia, quod ad aetiologiam morbi nostri attinet, maximi esse momenti. His rebus perspectis eo magis controversiae istae jam dudum de nostra re peractae sine ulla utilitate nobis esse videbuntur, utrum robustae ac sanguine abundantes magis ad eclampsiam pronae sint an sensibiles ac invalidae mulieres, utrum aër et vita in urbibus, id quod *Denman* vult¹⁾, convulsionibus nostris magis favent an vita rustica. His perspectis facile erit intellectu, eclampsiam interdum epidemice posse apparere, id quod *Betschler* mense Novembri anno 1833 observabat, his perspectis,

1) Introduction to Midwifery. Vol. II. p. 405.

dico, causas istas ocasionales paene innumerabiles ac temere a scriptoribus nonnunquam fictas, pertractare mihi non opus erit, verae enim causae ocasionales medico diligenter observanti tum sponte se offerunt.

Sed de his rebus hactenus. Nunc ad curam convulsionum nostrarum transeam. Duorum hominum animae in nostro morbo nobis concreditaе sunt, vita et matris et infantis, quod eo magis nos impellere debet, ut omnes vires nostras, totam nostram prudentiam tantum vitae superare hostem adhibeamus. Ad nullum morbum tam egregie praeclarum illud clarissimi *Galen* „morbi notio est initium morbo mederi“ quam ad eclampsiam pertinet. Omnia hic ex recta diagnosi, ex prodromis recte cognitis pendent, his enim rebus observatis imminentem impetum fugare et duplicem servare vitam non raro valebimus. Fructuosissimus atque maximi momenti est casus primus a clarissimo *Dewees* ¹⁾ narratus. Mulier quaedam in septimo graviditatis mense horribilissimis vexata convulsionibus aborta est. In sequente graviditate convulsionibus non iterum corripiebatur, cum maxima durante tota graviditate ejus adhiberetur cura; gravida non nisi lacte atque vegetabilibus vesebatur cibus, ut alvus semper aperta esset providebat, et simulac dolores capitis

1) I. c. p. 261 u. 262.

apparerent vena secata sanguis mittebatur; per nonnullos menses Tinctura Digitalis ter vel quater quotidie adhibita est. Quibus observatis justo tempore validum feliciter edidit infantem. In tertia graviditate mulier minus sollicita, curae propriae non subjecta, denuo convulsionibus eodem fere modo quo primum transeuntibus, correpta est. Quarta feliciter evasit graviditas muliere diligenter observata, in quinta denuo revertebantur convulsionibus ex iisdem ut in tertia causis. — Optimis imminentem impetum impediendis remediis sanguinis missionem adnumerandam esse omnes fere medici obstetricii consentiunt. *Dewees*¹⁾ venae-sectionem tamquam unicum laudat prophylacticum, etiam *Davis*, *Deleury*²⁾, *Ryan*³⁾ detractio sanguinis per venas eclampsiam semper prohiberi posse contendunt. *Hufeland*⁴⁾ „unicum, inquit contra convulsionibus in partu et post partum remedium venae-sectionem laudo, nunquam enim sanguine misso id malum observabam.“ Quantum ponderis praeclarissimus *Burns*⁵⁾ venae-sectioni attribuat, ipsius verba nobis probant. „Etiam atque etiam vos hortari vellem, inquit, si dolor capitis, si alia imminentium convulsionum signa

1) Essays on puerperal convulsions. Philadelphia 1818.

2) Art. des accouch. p. 138. §. 460.

3) Compend. of Midwifery. p. 435.

4) Die drei Heroën der Heilkunst. Journal. 1818.

5) l. c. 503.

adsint, sanguinis missio opus esse; raro tantum
 damnum afferens permultum valet, unicum ad
 vitam servandam fieri potest remedium, et si hic
 liber non aliam praebet utilitatem, nisi quod
 uni modo lectori hanc veritatem quam maxime
 commendet, nunquam istum scripsisse me poeni-
 tebit.“ Omnibus in arte nostra praeclarissimis
 viris unicam fere salutem in venaesectione quaer-
 rentibus, natura ipsius morbi hoc remedium
 maxime probante, eo magis mirum esse nobis
 videbitur quod adhuc nostra aetate medici sint,
 venaesectionem magis quam ipsum irrupentem
 morbum aversantes. Valde enim dolendum est,
 quod multi medici opinionem de venaesectione
 praedjudicatam, in falsis de uteri functione et de
 organisatione foetus durante graviditate sententiis
 positam, teneant. Credunt, quavis sanguinis uncia
 matri crepta, partem quandam foetui subduci,
 quare parce is liquor mittendus sit, ne foetus
 necessario privetur alimento. Nulla damnosior,
 nulla in curanda eclampsia perniciosior ac peri-
 culosior esse potest hoc opinione. Plurimi for-
 tasse contendunt, foetum, matre magna sanguinis
 quantitate privata, non prorsus incolumem rema-
 nere, quae eo probare contendunt, quod infans
 in haemorrhagia uteri saepius vitam perdat.
 Quamvis haec res ita se habeat, tum tamen
 utero ipsi magna sanguinis copia subducitur,
 quare vires uteri, foetui salvo necessariae, con-

sumuntur. Organismo vero universali magna sanguinis copia subtrahi potest, quin foetus minus nutriatur. Ne obliviscamur uterum requisitiones suas, sit venia verbo, semper a toto organismo non frustra recipere, ne obliviscamur tum quoque uterum sanguine abundantem nos invenire, quum reliqua corporis organa parca tantum nutriantur. Quis non observasset infantem satis validum mulierem edidisse, in ultimis phthiseos stadiis versantem, cujus sanguinis copia valde erat diminuta? Quamvis omnino non defendere velim, graviditatem jam per se venaesectionem requirere, tamen concedendum esse mihi persuasum habeo, in morbo tam pernicioso quam eclampsia, etsi pauca tantum imminentium convulsionum adessent signa venaesectionem statim uberiorem esse instituendam. Constat enim, gravidam melius sanguinis missionem sustinere quam mulierem uterum non gerentem. *De la Motte* 1) cujusdam mulieris mentionem fecit, quae, quamvis in ultimis graviditatis mensibus esset, et sexies et octogies vena incideretur, justo tamen tempore infantem satis validum edidit. — Praeter venaesectionem remedia purgantia ad praecavendum imminentem morbum praecipue laudantur. Valde servandum est, quod gravida sanguine abundans quotidie alvum aperiat, ac ne cibus soli-

1) *Traité compl. des accouch.* p. 389 u. 390.

dioribus vescatur. Sed in abhibendis remediis purgantibus prudenter ac circumspecte agendum est, quae si permagnam vim exercent ex consensu inter tractum intestinalem et uterum abortum efficere possunt. Quamobrem remedia drastica, Gummiguttae, Scammonium, Colocynthis, Aloë etc. praecipue vitanda sunt. Multi medici medicamina emetica permagni ad praecavendum imminensem morbum esse ponderis existimant. *John Burns* ¹⁾ „si manifesta, de hac re inquit, turbatae digestionis signa adsunt, multi scriptores emeticum suadent, equidem vero illud remedium, cerebrum valde excitans, laudare non possum.“ Reputantes maximum inter uterum et nervum vagum consensum, considerantes dolorem in regione hypogastrica ex ipso consensu et motus spasticos in vomituritione et vomitu ipso, reflexione excitatos explicari posse, quae priores medici excitata esse substantiis in ventriculo noxiis putabant, nec obliviscentes, emeticorum durante graviditate usum periculosiorem esse, illa remedia emetica in nostro morbo curando prorsus rejicienda esse facillimum erit intellectu. Accedit quod horum medicaminum vis in ultimis graviditatis mensibus, quod attinet ad ventriculum perfecte liberandum, valde incerta sit, quum hoc organon in contentionibus suis reliquis ad vom-

¹⁾ l. c. p. 502.

tum efficiendum idoneis partibus paulisper tantum sustentari possit. Imo vero emeticum convulsiones efficere potest, quum contractiones abdominis inter vomitum, musculis abdominis valde distentis dolorosiores redduntur.

Jam transeamus ad curandum impetum ipsum. Quanta observationum copia obviam nobis fit, quanta medicaminum mole inter se valde discrepantium obruimur! Quo v. tamus, quem virum in arte nostra praeclarum sequamur? Num eorum moveamur auctoritate, qui in omnibus casibus opium, remedia narcotica et antispasmodica suadent? an certissimam spem in iis repositam habeamus, qui venaesectionem ut unicum refugium laudant? an vero ad eos perfugiamus, qui conclamant „nonne tandem intelligitis sententiam istam antiquitus sacratam, cessante conditione cessat effectus, amovete quam celerrime a matre infantem, unicum irritamentum, unicam morbi vestri causam, adhibete quam celerrime istam operandi methodum, a *Franco-Gallis* „l'accouchement forcé“ nominatam!

Nos exponere conabimur istam quae optima nobis esse videtur ad curandam eclampsiam methodum. Considerantibus nobis naturam morbi nostri valde liquebit, tria praecipue nobis respicienda esse: primum opus erit corpus succorum copia liberare venaesectionibus, tum sanguinem ab organo isto maxime periclitante, a cerebro,

dimovere, ista denique removeere momenta, morbum nostrum vel periculosiorem reddentia. — Proxime cavendum erit ne aegrotata inter paroxysmos se ipsam vulneret, omnia igitur amoveas, quibus corpus laedere possit, praecipue linguam, cortice subereo inter dentes posito, serves. Statim tum venaesectionem non exiguam instituas, venam satis late aperias neque duodecim vel viginti sanguinis uncias mittere timeas. Detrahendi vero ista sanguinis copia et constitutione aegrotatae et vi atque vehementia symptomatum temperanda erit; ex una parte non plus sanguinis mittere, quam ad levandam aegrotatam opus erit, ex altera vero parte non nimis mature a sanguinis missione desistere debemus. Quamvis optandum sit, ut sanguis velociter atque magna profluat vi, tamen omnino necesse non est, vena aperiatur jugularis quod et durantibus convulsionibus non sine ullo fieri posset periculo propter propinquitatem magnorum vasorum, et fasciae, vena secata utique applicandae sanguinem refluentem venosam contineant. Venaesectio in pede instituta plane rejicienda erit, plethoram enim cerebrum opprimentem, sanguine tum tarde profluente, non modo non depellit, sed etiam sanguinis arteriosi vim auget. *Baudelocque* ¹⁾ venaesectionem in pede institutam de-

1) Art. des accouch. Uebersetzt von *Meckel*, p. 547.

trimento esse, et *Gardien* ¹⁾ sanguine e pede misso convulsiones, vena mediana secata statim desinentes, augeri observabat. Sanguinis missio, periculosus non cessantibus symptomatibus, repetenda erit. In universum plus potius quam parum sanguinis mittas, neque parvo pulsu neque facie pallida a larga prohibearis venaesectione, quamvis non facile audacem *Hamilton* ²⁾ sequi velles, quinquaginta sanguinis uncias mittere et necessitate urgente alteram missionem suadentem. *Deweese* ³⁾ de nostra re „quantum sanguinis, inquit, in singulis casibus mittendum sit, unciarum numero non plane constitui potest; equidem tam diu sanguinem mitto, quamdiu impetuum vis durat, ad quod triginta vel quadraginta sanguinis unciae celeriter missae paucis horis requiri possunt.“ Quamquam viri praeclarissimi *Mauriceau*, *Merriman*, *Velpeau*, celeberrima *Lachapelle* venaesectione mortem saepius averti non posse crediderunt, tamen *Joerg* ⁴⁾ in istis casibus aut nimis sero venaesectionem institutam, aut nimis parvam sanguinis copiam detractam esse, aut alia praesertim remedia antispasmodica saluberrimum effectum, misso sanguine adductum, sustulisse contendens, rectissime monet. Ad adjuvandum

1) *Traité compl. des accouch.*

2) *Annals of med.* V. p. 340.

3) *I. c.* 259.

4) *Handbuch der Krankheiten des Weibes.* 1832. p. 443. §. 442.

venaesectionis effectum non frustra cucurbitas eruentas atque magnam hirudinum copiam ad caput applicatam adhibebis, nunquam vero incipiente morbo ad haec refugias remedia, quae convulsionum vi atque vehementia fracta, adhibere tantum licebit. Hirudines ante venaesectionem applicatae maximum asferre posse periculum persuasissimum mihi habeo, systema enim arteriosum, una parte oneris prementis liberatum, majore vehementia ac redintegrata vi praesens malum adhuc augebit.

Ad satisfaciendum secundae indicationi ista praecipue adhibenda sunt medicamina, quae suppressam canalis intestinalis atque cutis actionem quam celerrime revocant. His remediis praesertim purgantia adnumeranda sunt e. g. Calomel, Nitrum, Kali tartaricum, Natrum ac Kali sulphuricum et quae sunt hujus generis reliqua. Calomelanos unum vel duo pro dosi grana per binas horas detur aut, quod *Joërg* vult, primae doses cum pulv. folior. Sennae aut rad. Jalappae (Calomel. gr. ℥, pulv. folior. Sennae gr. x.). *Betschler* ¹⁾ salia in aqua soluta cum aqua amygdalarum amararum tam diu dari jubet, donec aegrotae, alvo pluries aperta, ex statu soporoso alto somno consopiuntur. Huc clysmata quoque referenda sunt eo magis indicata, quo ultimis

1) Programm über die Eclampsie. p. 30.

diebus intestinum rectum stercore nimis repletum erat, quibus elysmatibus sal mirabile Glauberi, tartarum emeticum, oxymel scilliticum, sal culinare, saponēs, acetum etc. callide addas.

Ut sanguis a capite magis retrudatur potissimum fomenta in caput frigide adhibita valent; nives, glaciem, fomentationes frigidas a *Schmuckero* laudatas capiti imponas et aquam frigidam super caput affundas. Ad derivandum in cutem externam sinapismos praecipue et vesicantia tergo, brachiis, suris, pedibus vero cataplasmata calida, imponas, imo vero multi medici necessitate coacti super pedes fervidae effusionem aquae suadent. Quae omnia remedia cautissime atque circumspecte adhibeas necesse est ne incitamento istorum ipsa jam praesens irritatio totius corporis augeatur. Multi scriptores ob vires revulsivas ac antispasmodicas balnea valde laudant calida, quibus saponēs, cineres, Kali causticum etc. admisceas. Quum *Chaussier* recte quidem quia congestiones sanguinis ad cerebrum efficiant, haec balnea valde metuat, *Hasbach* ¹⁾ aegrotae in balneo sedenti glaciem capiti imponi jubet. *Betschler* ²⁾ extra universalem in hoc organon quoque vim efficientem curandi methodum propria ipsam uteri irritationem sedantia adhibenda credens remedia, injectiones in vaginam oleosas dum os

1) *Hufeland's Journal*. Band 75. 1832.

2) Programm. p. 31.

uteri perfecte apertum videatur atque cataplasmata calida abdomini apponenda laudat, quae medicamina tum potissimum commendare possumus, quum uterus irritatione quadam ultra modum adaucta laboret. Plane vero rejiciendae sunt istae a *Wigand*, a *Chaussier* et ab aliis medicis laudatae infriktiones, narcoticis medicaminibus effectae et in os uteri et in abdomen, quod non nisi dolores ad partum accelerent, sed etiam os uteri irritent, qua irritatione facillime convulsiones gignuntur. *John Burns* 1) haec omnia remedia pariter inutilia ac molesta putans, nisi venae-sectione nullo alio medicamine relaxationem oris uteri effici posse contendit.

Jam mihi restat ut nonnulla faciam verba de quibusdam in eclampsia curanda methodis a nostra valde discrepantibus, quarum altera partum vi perfectum, altera usum narcoticorum et antispasmodicorum medicaminum spectat. Quod attinet ad istam operandi methodum a *Franco-Gallis* „accouchement forcé“ nominatam, jam a prioribus in arte obstetricia viris praeclarissimis a *Guillemau* 2), *Levret*, *Smellie*, *Deleury* 3), *de la Motte* 4), *Osiander*, *Siebold* 5) et aliis maxime

1) I. c. p. 501.

2) Oeuvres compl. p. 313.

3) Art. des accouch. p. 138. §. 462.

4) Traité compl. des accouch. p. 380.

5) Frauenzimmerkrankheiten. II. §. 244.

laudatam, a multis nostrae aetatis medicis commendatur. *Osiander* ¹⁾ quamvis narrat, *Mauriceau* tribus ad eclampsiam curandam methodis partum quoque vi perfectum adnumerasse, *Betschler* ²⁾ tamen istam methodum *Mauriceau* eodem modo quo venaesectionem laudasse pernegans ipsius profert observationes 194, 323, 331, 376 in quibus medicus ille praenobilissimus non nisi vena secata partuque naturae permissio istam operandi methodum vitae matris perniciosissimam esse satis distincte declaraverit. *Mauriceau* in undecim mulieribus eclampsia vexatis partum vi perfecit, quarum quatuor, septem morte correptis, non nisi venaesectionibus fortiter institutis convalescebant. Ad locum quendam ex illustrissimi *Baudelocque* scriptis „credo potius, monet *Osiander* ³⁾, remedio quodlibet convulsionum genus tam celeriter, tam secure levare posse quam partu vi perfecto, quisque igitur medicus obstetricius, ad parturientem eclampsia correptam accessit, instituta venaesectione, adhibitis hirudinibus et remediis internis tempus perdens, secundum meam sententiam inscite curat mulierem, quum partus vi perfectus ei remedium satis certum suppeditet.“ Simili modo *Meissner* hac re iracundia elatus

1) Gemeinsame deutsche. Band II.

2) Programm. p. 23 u. f.

3) Bemerkungen über die französische Geburtshilfe. Hannover 1813. p. 264.

inanissimis rationibus partum vi perfectum optimum esse in eclampsiam remedium existimans, omni experientiae, omnibus physiologiae doctrinis plane repugnans „nam si systematis, addit, nervosi actio ultra modum excitata partu ipso in uterum confertur, plerumque convulsiones cessant et durante partu ipso hi spasmi rarissime tantum observantur.“ — Rationes istae, quibus viri docti hance operandi methodum defendentes utuntur hae sunt: Aliis foetum ipsum, uterum irritantem, eclampsiam arcessere, aliis foetum tantummodo uteri irritationem alio modo provocatum sustinere contententibus, omnes tamen in eo consentiunt, ut foetus quam celerrime ex utero removeatur, quod cessante conditione cesset effectus. Sed in mentem revoce mus, quae jam supra de eclampsiae natura diximus. Quum nervi sensibiles uteri, contractionibus uteri ad partum irritati, medullam spinalem ad motus reflexos incitent, nonne incendium oleo extinguere tentaremus si ipsos nervos sensibiles partu vi peracto quam maxime incitaturi simus? Et quid perfecissemus, quaero, foetu ex utero remoto? Nonne falsissima est sententia ista foetum uteri irritationem procreasse? Non foetus sed dolores ad partum nervos uteri sensibiles irritant qui etiam dolores non foetu provocantur sed qui intrant quia tempus adest quo foetus excludatur. Quid quod! nonne dolores ad partum, nonne uteri contractiones adeo in gravi-

ditate abdominali justo tempore apparent? Diligenter circumspecta vi atque vehementia isto operandi methodo proxime in uterum tum vero in totum corpus illata, circumspecta vehementissima reactione totius corporis tanta utique operatione procreata, ipsa methodus eo magis isto rejicienda erit tempore, quo vehementius mulier eclampsia laborans incitata sit. Nonne experientia eorum medicorum qui impetus eclampticos adeo foetu jam excluso durantes observabant certissime hanc operandi methodum rejicit? et quid de istis tandem dicendum erit casibus in quibus eclampsia non nisi brevi tempore post exclusionem foetus una cum doloribus post partum intret? — Respiciamus denique ad ea quae partu vi perfecto effecta sunt. Casibus istis a *Mauriceau* descriptis, quorum mentionem fecimus, facillime alia a *Baudelocque* et ab aliis viris in medicina praeclarissimis observata adnumerare possumus; imo vero isti qui maxime hanc curandi methodum laudant viri docti in eo consentiunt, quod periculosissima sit. Ea itaque quae et theoria et praxis de nostra re nos docuerunt omnino hanc refutant operationem quamobrem equidem eo magis istam rejiciendam esse mihi persuasum habeo, quo magis clarissimi *Naegelé*, *Betschler*, *Bland*, *Gehler* multique alii istam periculosissimam et plane inutilem esse existimant. Non longius explicatu opus erit ut

et in nostro morbo ad accelerandum et perficiendum partum interdum ad forceps applicandum, ad versionem instituendam et ad alias operationes coacti simus, quum etiam in eclampsia eadem et alias has agendi methodos desiderantia adesse posse nemo negaturus sit. Sed iterum atque iterum repeto, eclampsiam nunquam per se istas requirere operationes.

Maxime quae reprehendantur digna sunt remedia narcotica ac antispasmodica calida, jam nostra aetate a multis medicis obstetriciis ad curandam nascentem eclampsiam adhibita. Considerantes, quantopere ista medicamina totum systema vasculosum excitant, quantopere congestiones sanguinis perniciosas ad cerebrum augent, reputantes eventus tristes ac miserabiles quos non raro procrearunt, libere et ingenue confiteamur nos infinitam paene non posse comprehendere levitatem a plurimis medicis adhuc in curanda eclampsia istis remediis, praecipue opio tractatam. Nonne sapienti medico dignius esset si, praejudicatas opiniones jam dudum obsoletas abjiciens, libere concederet se hucusque valde errasse, quam si obstinato animo iis indulgens vitam et matris et infantis temere discrimini committat? Optimo hujus rei documento casus septimus ac octavus *Dewees* descripti sunt¹⁾.

1) l. c. p. 271.

In primo casu medicus aegrotae *Laudanum* dedit, *Dewees* accessit jam fugientem non amplius servare potuit animam. Non multo post idem medicus in altera parturiente eclampsiam observabat et a *Dewees* jam meliora edoctus altera curandi methodo adhibita maxima mulieri sanitatem reddidisse perfruebatur laetitia. „Uterque casus, monet *Dewees*, satis superque demonstrat, quantum recta valeat cura. Primus tam improspere eveniens morbus animum medici, convenientem in secundo casu instituentis curam, tantopere commoverat, ut aperte confiteretur et utrumque casum simillimum fuisse et primam mulierem ineptissima perdidisse cura.“ Viri clarissimi *Hamilton* ¹⁾, *Burns* ²⁾, *Dugés* ³⁾, *Naegelé*, *Merriman* ⁴⁾, celeberrima *Lachapelle* ⁵⁾ multique alii opium plane rejiciunt, imo vero *John Burns* hoc remedium non nisi tum impetum opprimere confirmat, quum apoplexia sequeretur lethalis. Eandem sententiam *John Burns* de secali cornuto a *Whaterhouse* et *Ashwell* ⁶⁾ laudato, dicit cui ex intimo assentimur pectore, quia hoc medicamen, dolores ad partum non nisi fortiores ac validiores reddens,

1) *Annals of med.* V. p. 340.

2) *l. c.* 501.

3) *Dict. de méd. et chir. prat.* VI. p. 545.

4) *Synopsis on difficult parturition.* p. 141.

5) *Pratique des accouchement.* III. p. 27.

6) *Transact. of Edinb.* Vol. III. p. 578.

convulsionibus viam facit. Ex iisdem causis omnia remedia nervina ac antispasmodica calida, praecipue asa foetida ac Camphora incipiente morbo plane rejicienda sunt. Secundum *Betschler* ¹⁾ moschus, vim suam non nisi in systema nervosum extendens, nulli fere detrimento in curanda eclampsia est., In primis quos vidi casibus, inquit, moschum cum Hydrargyro muriatico miti dedi, quia opinionem istam praejudicatam ad convulsiones sedandas antispasmodica adhibenda esse remedia non prorsus abjicere potui, id vero serius sine ullo incommodo omittens, solis remediis deprimentibus prosperrime usus sum.“ Si quis narcotica prorsus adhibere velit medicamina, acidum hydrocyanicum venaesectionibus uberrime institutis atque vehementia morbi fracta, maximo fortasse usui erit.

Convulsionibus cessantibus crises jam apparentes regas atque adjuves et mulieri convalescenti convenientibus consulas remediis.

Mulierem jam semel eclampsia vexatam in secunda graviditate diligenter observes eique omnibus plethoram offerentibus interdicas. Gravida vegetabilibus magis utatur cibus, omnia congestiones ad cerebrum adducentia evitet, omnes animi commotiones diligenter fugiat, ambulando corpus crebro commoveat, sub coelo saepius salubri


1) Programm über die Eclampsie. p. 28.

versetur, maximamque curam quotidie alvi adhibeat. Apparentibus acerbissimis capitis doloribus reliquisque imminentium convulsionum signis continuo venesectionem instituas et secundum rationes supra demonstratas agas. Adveniente tandem partu clyisma applices, ac si mulier levi tantum vexetur cephalalgia, statim venam secari jubeas.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Large block of very faint, illegible text in the middle of the page.

Bottom section of faint, illegible text at the bottom of the page.



versetur,
beat. Ap
reliquisqu
tinuo ven
nes supra
partu cly
vexetur ce

e curam quotidie alvi adhi
erbissimis capitis doloribus
m convulsionum signis con
stituas et secundum ratio
s agas. Adveniente tandem
ac si mulier levi tantum
atim venam secari jubeas.

maple Engineering Scan Reference Chart TE93 Serial No. 033

Patch Reference numbers on UTR

mm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 25 30 35 40 45 50 55 60 65 70 75 80 85 90 95 100

inch 1/16 1/8 3/16 1/4 5/16 3/8 7/16 1/2 5/8 3/4 7/8 1 1 1/8 1 1/4 1 1/2 1 3/4 2 2 1/4 2 1/2 2 3/4 3 3 1/4 3 1/2 3 3/4 4 4 1/4 4 1/2 4 3/4 5 5 1/4 5 1/2 5 3/4 6 6 1/4 6 1/2 6 3/4 7 7 1/4 7 1/2 7 3/4 8 8 1/4 8 1/2 8 3/4 9 9 1/4 9 1/2 9 3/4 10

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

4.5 5.0 5.5 6.0

UR Rootstock 6515000

B7 A7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document